Ego minimus servorum Dei annos aliquam multos
non absque dolore et labore certamina vidi, minuere
studui. Extremum tandem hunc addere visum est
conatum: cui si Dominus è coelo benedixerit, gloria
Domino erit: fructus Ecclesiae: gratia Majestatis
vestrae immortalis debebitur.
His Regiam Majestatem vestram divinae gratiae in
plurimos annos tuendam roborandamque suppliciter
commendo: eandem verò, quod initio à me facta
oportuit, ut studium atque ausum hunc meum
serena fronte accipiat, humiliter oro. Hei-
delbergae 11. April. 1614.

118. Ad Serenissimum Regem Daniae
Christianum IV.

Venit, Rex potentissime, ad limina Majestatis Tuae
Irenicum hoc meum epistolio parvo, ut ipsum sit
epistola, quam Majestas Tua legendo vel audien-
do cognoscere non dedignetur. Haec verò, quia
ad rem maximam, Unionem, Synodum, Pacem E-
vangelicorum conciliandam Majestatis Tuae implo-
rat auxilium: Necessitatem rei distractio diutur-
na loquitur: Difficultatem tempora superiora
docuerunt: Facultatem praesentia tandem promit-
tunt: quippe quae, si non Theologos omnino ad rem
magis compositos, certè Monarchas et Principes
viros ad tanti Moliminis negotium deside-
ratissimos nobis tandem progenuisse, vel potius
divinitùs ad hoc videntur esse sortita. Et illis
cum Deus ter O. M. singulari gratiâ Majesta-
tem Tuam in thronum Regium evexerit, ad ean-
dem tantae rei curam regalem pertinere jure
divino non est dubium. Erit ad latus vicinus Rex
Magnae Britanniae quem in hoc sancto studio
Majestati Tuae ipsa affinitas sociabit. Erunt porrò reli
Electores et Principes Evangelici, pios ad opus Domini

paratos sine dubio invenient conjuncta vestrae Majestates. Dissidio nostro sub diu Romana Synagoga triumphabat. E composito veniet tandem Ecclesiae pax una triumphis innumeris potior. Ego minimus servorum Dei annos jam plurimos non sine dolore et labore certamina nostra vidi, minuere studui. Post omnia extrema tandem hunc addidi conatum: cui si Dominus e coelo clementer annuerit, gloria ingens Domino orietur, fructus inestimabiles Ecclesiae cedent, gratia immortalis vestrae Majestati debebitur. Hisce Majestatem Tuam, Rex inclytissime, divinae clementiae in multos annos tuendam, augendamque, suppliciter commendo. Eandem vero quod initio a me factum oportuit, ut studium atque hunc meum serena fronte accipiat, humiliter oro. Heidelbergae 12 April. Jul. 1614.

Ad fratres Ungaros 179.

Quibus gratiam et pacem a Domino precatur

David Pareus.

Tres fuerant in literis D. Lucae Hodazii (propria manu ad me scriptis) de quibus Domini fratres responsum a me petunt. I. De forma Oeconomiae Ecclesiasticae vobis receptâ. II. De turbatore quodâ tribus criminationibus oppugnante ordinem vestrum. III. De facto Synodi, quae adversus Turbatorem post omnia Principis operam imploravit. De singulis breviter sic est sententia mea.

I. Formam gubernationis et disciplinae Ecclesiasticae ad me misit D. Hodazius typis excusam. Sic est libera, ut politicus Magistratus nunquam vobis intercedat. Sane vobis gratulor, quod talem a majoribus acceperitis, qualem hoc distorto seculo instituere vix possetis. Similis fuit oeconomia Ecclesiae Apostolicae et subsequentis, quamdiu Christianis imperatoribus caruit. Simili utuntur Ecclesiae in Polonia et Gallia, ubi cum sint coetus per vastissima regna hinc inde sparsi, non possent unitate et officio